



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Qvatvor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conuersione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

68. Militia apud Sinas vilis & Literatis abiecta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

legationibus , & posselli iuris approbatione Sinensem obseruent ut Corai, Cocincinæ , & Tunchini Reges , eo solum consilio id agunt , vt tanti Principis tutela, confines in Officio & pace continant : imò quod mirum est , inter Sinas montanos , & prope inacellos , sunt qui suo iure sinuntur viuere , tūm quod publicè nihil turbant , tūm quod expūgnari nisi cruenta victoria non possunt. Sic ergo Sinæ degunt in armis & pace perpetui. Denique ab iis cum esset etiam timendum qui accepta seruando regno arma , poterat in regni viscera vertere , huic item periculo prouide cautum est. In primis enim militia nihil abiecius apud Sinas , nec ad illam quisquam inducit animum qui putet se aliquid in literis posse , cum sit Literati & militis discrimen quale imperantis & famuli ; vsque adeò ut summi etiam , exercituum ductores , Mandarinorum infimo subiaceant , eiusque pedibus prouoluantur , breuiter Sinarum-militia , colluquies est flagitosorum , regni fœx ; & bonam partem serui , veratque illius immensitas toto regno longinquitate varia membratim distracta , ne quis possit ab ea tumultus metui. Duces quidem ab suis militaria exigunt munera , pœnas si peccent nec possunt exigere , nec illos præmiis donare , nec stipendia soluere. Ius illis dicunt Mandarinini , Duces interdum lictorum manibus tanquam mancipia coram cœdunt ; stipendia numerant , à primis sigillatim præfectis ad postremum usque gregarium : penes illos sunt arma , æraria , commeatus omnes; Soli de bello , pace , expeditionibus consulunt ac decernunt ; quin & vbi ad manus veniendum aciem instruunt , conflictum dirigunt , quandoque præter spem , & pugnant acrius cœteris , & animalibus occumbunt , forte quod alij seruilia capita pro alieno pugnant , Mandarinini pro suo , & Philosophiæ qua imbuti sunt , decoro. Hæc summa rei militaris apud Sinas , cuius præstantiam abundè illa docet qua domi , & foris potiti sunt , nunquam intermissa tot seculorum tranquillitas. Nam quæ illos postremum obruit inundatio Tatarorum , merces fuit vilissimi proditoris , prodiciones autem monstra sunt extra ideam rationis , & recti concepta , & edita : cœteroqui nihil prouidentius ex cogitari potuerat , quām ut ea militi auferrent ex quibus patriæ periculum aliquod immineret , conseruarent verd , quæ profutura patriæ videbantur. Ciues & alij extra ordinem militarem , more ac lege inertes sunt. Breuior sica vix illis permititur qua dum iter agunt aduersus latrones se tuerintur , ad hæc nemo palam inimicitias profitetur , insecta nemo , nullæ usquam turbæ in sanguinem excunt : singulare certamen nisi pugnis solis non certatur , ad summum euulsione capillorum. Imò virtus aliqua insignes honestate , percussi aufugiunt , quæ fuga illic honorifica est , & de inimico , ira & odio , instar belluæ prostrato , magna apud omnes fama triumphasse laudatur.

Alij quorum ex multitudine parique potentia periclitari regnum dicebamus , Regis propinqui sunt , quotum numerus intolerabilis per annos trecentos , ad sexcenta milita creuisse ferebatur. Pater quidem

68.  
Militia apud  
Sinæ vilis &  
Literatis ab-  
iecta.

69.  
Filij , & con-  
fang. Regū.